QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS EXCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS III. FEBRVARII M. PHILEBERTO GVIBERT MEDICO MODERATORE PRVDENTISSIMO.

An omne viuens, calidum humidum?

CVM OMNIS MVTATIO ex repugnantia contrariorum proficiscatur, nullus est qui rerum sublunarium vniuersitatem assiduæ mutationi obnoxiam, variis contrariisque principiorum generibus, aspersam esse negauerit nisi imprudens. Simplex enim & vnicum cum à se affici non possit, non haberet à quo pateretur. Quapropter elementa quatuor, communia rerum omnium semina, contrariis prædita fuere qualitatibus à natura, vt in se inuicem insurgerent & colluctarentur. His adiunctæ sunt aliæ retusæ ad faciliorem & commodiorem transmutationem. Sic ignis intensè calidus, remissè siccus; aqua intensè frigida, remissè humida; aër intensè humidus, remissè calidus: terra intensè sicca, remissè frigida.

IPSORVM AVTEM ELEMENTORVM corpora, sine quibus qualitates subsistere non possunt, concurrunt vna cum qualitatibus ad mixtorum compositionem: Ita tamen vt quamuis penes substantias & qualitates misceantur, neque substantiæ, neque qualitates ἐνεργείᾳ sed δυνάμει duntaxat seruentur. Quatuor hæc inter se contraria, certa quadam proportione cœunt, vt vnum tantum aut saltem duo victis aliisexuperent, vel confecta iam pugna æque vincant & vincantur.

HINC (quia tanta in temperie, quanra in mixtione varietas) resultat temperamentum duplex εὔκρατον vnum ἢ σύμμετρον exquisete temperatum, in quo elementorum vis est eadem, & omnium par ratio: δύσκρατον alterum ἢ ἀσύμμετρον in quo vna aut duæ prepollent citra tamen actionis læsionem. Illud partim pondere, partim iustitiâ æstimari depet: hoc vero multiplex. Nam pro numero primarum qualitatum, quatuor sunt simplices temperamenti differentiæ, & totidem compositæ pro numero combinationum. Et ita nouem tantum erunt temperamenta: temperatum vnum, norma cæterorum instar statuæ Polycleti, & octo intemperata. Horum non minima est latitudo, vnde innumeræ fere corporum dissimilitudines consurgunt & propietates quas ἰδιοσυγκρασίας nuncupare solent.

ANIMARVM TRIA SVNT omnino genera, pro quorum numero tres tantum viuentium constituuntur differentiæ, quando quidem vita & anima reciprocantur. Hæ tres animæ inter se specie differunt. Plantæ namque quibus vegetans, belluæ quibus sentiens, homines quibus rationalis concessa est, cum propter animam specie differant, ipsas etiam animas per quas vegetant sentiunt discurrunt, specie differre consentaneum est. Perfectionibus insuper distinguuntur: adeo vt sicut rationalis sentiente, ita sentiens vegetante nobilior & præstantior sit. Non tamen ob id inæqualiter nomen & ratonem sui generis participant: Vegetans enim non minus est forma & summa perfectio plantæ, quàm sentiens belluæ, & rationalis hominis.

IN VNOQVOQVE HORVM trium viuentium genere, quis non videt pro varia & multiplici elementorum permixtione, variam quoque & multiplicem reperiri temperiem ab excessu qulitatum denominatam? Inde (vt à plantis exempla ducam) aliæ calidæ, aliæ frigidæ, quædam humidæ, quædam etiam siccæ, id que primo secundo, tertio, vel quarto gradu. Sic absynthium, anethum, abrotonum, & allium, calidæ: malua & lactuca humidæ: fœniculum rosmarinus, sabina, sinapi, siccæ: fumaria denique endiuia, hyoscyamus & mandragora, cicuta & papauer frigidæ; adeo vr postremæ hæc quatuor frigiditate sua enecent & inter venena numerentur. Quin & in animantibus leo calidus, formica sicca, vermis humidus, salamandra denique adeo frigida vt ad certum vsque tempus ab igne nil patiatur, & in mediis flammis viuat.

Ergo non omne viuens calidum humidum.

Asserebat LVTETIÆ IACOBVS PERREELLVS Tornodorensis, anno Domini 1611.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.



M. Iacobus Letus.
M. Ioannes Riolant. Prof. Reg.
M. Andreas le Gros.
M. Ioannes le Mercier.
M. Michael Toutain.
M. Guillelmus Lescaillon.
M. Robertus le Secq.
M. Simon le Tellier. Med. R.
M. ~~*Iacobus Cousinot.*~~ [illegible]